



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Introductio mentalis orationis, circa Paßionem Christi Domini nostri, in qua  
agitur de fine, dispositionibus, & variis rationibus eandem Passionem  
meditandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

R. P.

LVDOVICI  
DE PONTE,  
E SOCIETATE

IESV

MEDITATIONVM  
CIRCA MYSTERIA PAS-  
SIONIS DOMINI NOSTRI

IESV CHRISTI,

PARS QVARTA.

INTRODVCTIO ORATIONIS

*Mentalis circa Passionem Domi-  
ni Nostri IESV  
Christi.*



VA MVIS Meditationes  
mysteriorum Passionis Do-  
mini nostri IESV Christi  
pertineant (iuxta ea, quæ in  
Introductione huius libri  
diximus) ad viam Illumi-  
natiuam; ac præcipuè ad su-  
premam eius partem, quæ viæ Vnitiuæ conti-  
gua est, sunt nihilominus valdè vtiles cuiuam

IV. Part. Introd.

A

que



que hominum generi, & quamcunque illi viam ambulent, & in quocunque perfectionis gradu versentur. Nam peccatores inuenient in eis efficacissima motiua, ad se purgandum à peccatis; Tyrones, ad suas passiones mortificandas, Proficientes, ad crescendo in omni genere virtutum; & Perfecti denique, ad consequendam ardentem amorem vnitionem cum Deo. Quamobrem ait Sanctus Bernardus, Passionem Christi Domini, vsque in hanc diem facere, vt terra tremat, lapides confringantur, & aperiantur sepulcra; atque velum templi medium, à summo vsque deorsum scindatur: nam qui ea meditantur, *a* si terra sunt, ob culpam & affectionem ad res terrenas, *tremant*, sancto Dei, & seueræ eius in filium suum iustitiæ timore commoti; & ad inordinatos illos affectus deserendos excitantur; si *petra* sunt ob duritiem cordis, emollescunt & *confringuntur*, ob magnitudinem doloris; quem tum de suis peccatis, tum ob pœnas, quas Christus pro illis suscepit, concipiunt; si sunt *sepulcra* clausa, ob pudorem manifestandi suas culpas, *aperiantur* confessione, vt mortem à se repellentes, ad nouam vitam resurgant: Omnibus denique *scinditur velum*, quod diuidebat inter Deum & nos, vt possimus iuxta Apostoli sententiam, *b* *reuelata facie gloriæ Domini & abyssum cœlestium eius secretorum speculari*. Nec absque causa, diuisum est velum à summo vsque deorsum; sed vt significaretur, per Christum crucifixum

licere

S. Bonavent.  
in stimulo  
Diuini amoris c. 1.

Serm. in feria 4. Maij, hebdom.

a Matt. 27. 52.

b 2. Cor. 3. 18.



licere nobis contemplari altitudinem Diuinitatis, & excelsas eius perfectiones, ac profunditatem humanitatis, & clarissimarum eius virtutum. PECCATORES itaque, qui *che-  
vinaceorum* instar, culpis suis, tanquam spinis, sunt cōrecti, ingressum inuenient & *refugium* in Diuinæ huius *petra* foraminibus; & dolenter in eis meditates, expedientur à suis spinis. PVIORRES verò & simpliciores, sicut *dolumba*, altius *volare* poterunt, & nidos suos habitationesque, e *in foraminibus* huius *petra*. & *in cauerna* huius *maceria*, collocare; vt puriores adhuc & pulchriores euadant. PERFECTI denique, qui instar *fceruorum*, *excelsos* conscendunt *montes*, Christum à terra exaltatum meditates, magnā vi trahentur, vt *g conuersationem suam* habeant *in caelis*. Et omnes denique (vt ait Bernard.) *h sugere poterunt mel de petra* hac, *oleumq; de saxo* hoc *durissimo*, quod etsi ad ferendas iniurias fuit durum, & ad sustinenda flagella durius, ac denique ad tolerandos cruciatus crucis, fuit durissimum; nobis tamen factus est fons olei & mellis, sanādo vulnera nostra emolliendo duritiem, confortando debilitatem, & animabus nostris indulgendo suauitate Diuinarum suarum consolationum. Hanc ob causam, meritō dicebat Albertus Magnus, simplicem passionis Christi memoriam & Meditationem plus utilitatis homini adferre, quā si anno integro in pane & aqua ieiunaret, ac flagellis se quotidie vsque ad sanguinem caderet, & Psalte-

c Psal. 103.  
18.d Psal. 54. 7.  
e Can. 2. 14.f Psal. 103.  
18.g Phil. 3. 20.  
h Deut. 32.13.  
Serm. 2. de  
Pentecost.



c *Isai. 5, 15.*

num totum quotidie recitaret : hæc enim exercitia, etsi bona sint & valdè utilia, quia tamen sunt opera externa, si ita nudè exercentur, non habent tantam vim, ad purificandum cor à suis vitijs, illudque veritatibus ac virtutibus illustrandum, & inflammatis Divini amoris affectibus perficiendum; atque attendenda & profunda Christi Domini nostri Passionis Meditatio, quæ omnia hæc efficit, additque etiam spiritum & vitam poenitentis ipsis & operibus externis, permouendo efficaciter ad feruentem eorundem exercitacionem.

*DE SCOPO IN MEDITATIONE Passionis præfigendo.*

§. I.

**I**X præmisso fundamento clarè constat, quod sicuti sunt diuersi qui passionem Christi meditantur, ita fines particulares, quos in ea meditanda sibi præfigunt, debere esse diuersos: ut vnusquisque eum affectum, & spiritualem fructum procuret, qui animæ ipsius statui & viæ, quam ambulat, sit conformior; ad purgandum videlicet se à culpis, & inordinatis affectionibus; aut ad seipsum heroicis virtutibus exornandum; aut deniq; ad se Deo feruentioribus charitatis affectibus coniungendum; adhibito,

tan-



tanquam medio ad hæc omnia, affectu compassio-  
nis, qui viam ad reliqua omnia ster-  
nit.

PRAEMITTENDVM est autem Christi *Lib. de Tri-*  
Domini nostri passionem ( teste S. Laurentio *umphali a-*  
Iustiniano) tum gaudij, tum mœroris incenti- *gone Christi*  
uum esse posse, quia potest bifariam conside- *c. 20.*  
rari. PRIMVM, quatenus summum est Dei be-  
neficium, *in quo diuina miserationis referatur*  
*abyssus, cœlorum aperitur ianua, caritatis lati-*  
*tudo ostenditur, & quantus sit homo, apertissime*  
*demonstratur: vile enim esse non potest, quod*  
*filij Dei Sanguine comparatur.* Hoc modo pas-  
sionis Meditatio, ad gaudij & lætitiæ affectus  
permouet, sicut a *Abraham exultauit & gaui-*  
*sm est,* quando in *b Sacrificio arietis,* quem of-  
ferebat loco filij sui Isaac vidit in figura *dies*  
& mortem IESV Christi, animo exultans,  
propter ingentia bona, quæ toti mundo ex ea  
erant prouentura: & idem ipse CHRIS-  
TUS Dominus hac ipsa de causa gaudebat  
memoriâ suæ passionis, appellans ( *c vt est in*  
Cantic.) hunc diem, *in quo coronauit eum ma-*  
*ter sua, Synagoga, diademate, & corona spi-*  
*narum: diem desponsationis sua & lætitiæ cor-*  
*di sui:* ideoque ingressus est Hierosolymam  
magnis exultationis signis, vt hanc coronam  
acciperet, & desponsationem cum Ecclesia in  
crucis thalamo celebraret. Modus hic Medi-  
tationis, eorum est maximè proprius, qui in  
via Vnitiua versantur; & passionem ipsam,  
tanquam vnum, ex diuinis beneficijs confi-

a Ioan. 8. 56.

Chrysof. ho-  
mil. 84. in  
Ioan.

b Gen. 22. 13.

c Cant. 3. 11.



derant, de quibus in 6. parte agitur.

ALTERA ratio meditandi passionem, de qua nunc præcipuè agimus, est; quatenus illa amara fuit; doloresque & cruciatus Christo attrulit; & cuius nostra peccata causa fuerunt; ac denique qua fuit exemplar omnium virtutum, earum præcipuè, quæ in mediis laboribus resplendent: hac enim ratione excitat in nobis mœrorem & compassionem Christi pro nobis tanta patientis, & ipse Christus eiusdem memoria tristabatur; ideoque par est nos etiam cum ipso contristari, ne de nobis dicat illud Psalmi, *d sustinui & respexi, an esset, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur; & non inuenit.*

d Psal. 68.  
21.

VT verò intelligatur, qualis hæc debeat esse cōpassio, & in quos fines dirigi; moneo, quod Christus Dominus duobus modis biberit amarum suæ passionis calicem: alter fuit in corpore, manibus ministrorum & carnificum; cum fuit ab eis comprehensus, flagellatus, spinis coronatus, crucique affixus: alter, fuit in spiritu, memoriâ videlicet & imaginaria eorundem laborum, & causæ illorum apprehensione, quæ fuerunt nostra peccata: & utriusque meminit ipse Christus, cum loqueretur filius Zebedæi, ut suo loco est dictum: nam S. Matthæus refert, dixisse illis, *e potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* loquitur enim de potu corporalis calicis, quem erat postea bibiturus; & S. Marcus addit, Christum dixisse, *f potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut ba-*

e Matt. 20.  
22.

f Marc. 10.  
38.

pt: /mo,



primo, quo ego baptizor, baptizari? ubi etiam spiritualem potum declarat, quem quotidie sumebat: quamvis maiori acerbitate, illum hauserit, in horto Gethsemani, ubi interno sensu fuit spiritualiter flagellatus, spinis coronatus, & cruci affixus. In utroque autem modo bibendi calicem, eluxerunt excellentissimæ virtutes, ut in decursu apparebit.

Ex his intelligemus, ad quos fines respicere debeamus in his meditationibus; & quos fructus ac utilitates ex eis elicere: quæ eo tendunt, ut nos coniungant, transforment, & conformes faciant Christo afflicto & cruciato, utroque prædicto modo: ut & nos modo nostro etiam bibamus utroque illo modo calicem passionis eius.

PRIMò, procurando in ipsa Meditatione *g*sentire (ut ait Apostolus) *in nobis, quod Christus* IESVS sensit, affectibus compassionis, doloris, & moeroris, ut ita transformemur in ipsum Christum moerentem & afflicto pro nobis, & spiritualiter eidem crucifigamur: sicut virgo Sanctissima, filij sui dolores sentiens, eius cruci fuit conrucifixæ iuxta illud, quod ei prædixerat Simeon, quod *h* eius *animam pertransiret gladius*, nõ corporis, sed spiritus, compassionis videlicet ac doloris. Modus hic sentiendi Christi Domini passionem, est speciale donum eiusdem Domini, qui aperit oculos, quibus ipsius dolores & pœnæ perspicantur, & defleantur. Idem per Prophetam, se facturum prædixit, *Effundam*, inquit, *in Zach. 12. 10.*

L.  
gPhil. 2. 5.

h Luc. 2. 35.

in Zach. 12. 10.



i Ioan. 19. 37

super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratia & precum, & afficient ad me, quem cōfixerunt; & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti: quæ Prophetia, quamuis de alia visione & alio plāctu, qui erit Iudæorum (qui credere noluerūt) in die iudicij, solet interpretari; potest nihilominus de Ihs intelligi, qui accipiunt à Deo spiritum orationis, in cuius virtute, oculis viuæ fidei respiciunt eum k quem crucifixerunt, &c. eius mortem amarè fleantes. Hinc apparet, quam inordinatè accedant aliqui ad meditantam Christi Passionem, desiderantes lachrymas & teneritates, propriæ præcipuè consolationis & gustus intuitu, qui etsi videatur spiritualis, est tamen (vt ait S. Bonaventura) amoris proprii, & valdè inordinati: insignis enim est inordinatio, suauitatem & dulcedinem in Christi pœnis & doloribus; & consolationes, dum eius desolationes meditantur, quærere: non enim illæ sunt meditandæ, nisi vt sentiantur; & earum participes efficiamur: tanta nihilominus eiusdem Domini bonitas, vt hoc ipsum, quòd eius desolationem sentimus, in nostram nec paruum consolationem cedat.

k Heb. 6. 6.

In Stimulo  
Diuini amoris e. i. ad finem.

II.

SECUNDVS finis, quem oportet in his meditationib⁹ nobis proponere, est, ipsum passionis calicem, corpore etiã bibere, ipsi Christo in ipsa passione nos conformantes; magnum ex ipsa meditatione animum & fortitudinem,

&amp; effi



& efficacissima, ad id præstandum, proposita  
 haurientes; spontè nostra aliqua sumentes,  
 quæ pœnam secum adferunt, qualia sunt ieiu-  
 nia, disciplina, & similes spontaneæ mortifi-  
 cationes; aut patienter & cum gaudio ea su-  
 stinentes, quæ Deus nobis miserit, aut eueni-  
 re permiserit; credentes: (vt ait Apostolus)  
 etiam esse *donum Dei*, hoc modo *pro Christo* Phil. 1. 29.  
*patri*, sicut eidem *compatri*: ideoq; dum Chri-  
 sti passionem meditamur, conandum est, ad  
 imitationem eiusdem Apostoli, *semper mor-* m 2. Cor. 4.  
*tificationem Iesu in corpore nostro circumferre*, 10.  
 & eiusdem *Christi Domini stigmata*, vulne- n Gal. 6. 17.  
 ra scilicet & pœnas, quæ carnem nostram af-  
 fligant, sicut eius carnem affixerunt: ita vt quis-  
 que dicere possit, vtroq; modo *o Christo cru-* o Gal. 2. 19.  
*cifixus sum cruci*, tam scilicet *compasione*,  
 quam ipsa in *patiendo pro ipso imitatione*,  
 sicut ipse pro me passus est.

HINC sequitur TERTIVS principalis ha- III.  
 rum meditationum finis, qui est conformatio  
 cum ipso Christo, in virtutibus heroicis, quas  
 ipse exercuit, bibens suum calicem, tam spiri-  
 tu quàm corpore; amore videlicet Dei & homi-  
 num, zelo salutis animarum, puritate inten-  
 tionis, affectu obedientiæ, humilitatis, patien-  
 tiæ, & paupertatis; & externis harum & alia-  
 rum virtutum operibus, & nominatim con-  
 temtu rerum terrenarum, & mortificatione  
 affectionum, quæ in eis procurandis aut reti-  
 nendis inesse solent, ita vt iuxta S. Petri sen-  
 tentiam *p Christo passo in carne, & nos eadem* p 1. Pet. 4. 1.



*cogitatione armentur, & in omnibus ei similes euadamus, cuius passionis meditatio fit nobis armorum instar fortium, & elegantium, quæ nos totos à capite ad pedes cooperiant & arment, reddantque tremendos ipsis dæmonibus, carni terribiles, mundo admirandos, Angelis gratos, Deo denique amabiles.*

**DE DISPOSITIONIBVS  
ad passionem meditandam  
procurandis. §. 2.**



T prædictos fines, quos meditatione passionis quærimus, obtineamus; necesse est, quam possimus optimè ad eam nos præparare. Et si enim (ipso Spiritu san-

*a Eccl. 18. 27.* cto autore) *a ante omnem orationem, præparanda sit anima; ne, qui orat, videatur esse, quasi homo, qui tentat Deum, & portionem suam absque vlla præparatione de cælo expectare, præcipuè tamen id refert plurimum, ad eam orationem & meditationem, quæ pro argumento habet ipsius Christi dolores & pœnas, ad quas ipse magno amore se præparauit: vultque eas magno feruore cogitari & meditari.*

*b Thren. 3. 19. 20.* P O S S V M itaque existimare, ipsum Christum mihi dicere, illud Ierem. *b recordare paupertatis & transgressionis, siue laboris mei, & absinthij & fellis: me verò eidem*

respon



respondere memoria memor ero, & tabescet in  
 me anima mea, hoc recolens in corde meo: ideo  
 sperabo; Quasi dicat, omnino in particulari &  
 magno fervore de tuis laboribus & afflictio-  
 nibus recordabor, adeo eas tenerè in me sen-  
 tiens, ut præ mæore & dolore tabescat ani-  
 ma mea: nec satis mihi esse existimabo, semel  
 omnes tuos dolores meminisse, sed repetam  
 sæpè magna attentione & affectu, magnam ex  
 eis fiduciam hauriens. *Dispositiones* aptas ad  
 meditandum cum fructu hæc mysteria, ape-  
 ruit breviter S. Bonavent. dicens: *debet homo*  
*aggredi hoc tam nobile opus humiliter, confiden-*  
*ter, instanter, & cum quanta potest cordis sui*  
*munditia:* In qua sententia quatuor præcipuas  
 indicat virtutes, quæ optimè animam dispo-  
 nunt ad ea dona & gratias accipiendas, quas  
 Deus iis communicare consuevit, qui se in his  
 meditationibus exercent.

PRIMA virtus est *cordis humilitas*; ut medi-  
 tationem auspicemur, cum pudore & confu-  
 sione nostrorum peccatorum, non ob illà ge-  
 neralem causam; quod *iustus initio sua oratio-*  
*nis accusator sit sui*, sed nominatim, quod suis  
 peccatis causa fuerit tot cruciatuum Christi,  
 quem respicit, & contemplatur. Atq; si parens  
 quispiam vinculus & ferreis onustus in carcere  
 cõpedib. & catenis, inter latrones detineretur  
 graues toleras dolores & ignominias, non ob  
 sua, sed filij peccata; si filius ille, ut parentem  
 visiteret, carcer è ingrederetur humili procul-  
 dubio pudore, & sui cõfusione suffuderetur, ut  
 qui

In stimula  
 diuini amo-  
 rii c. 4.

I.

c. Prou. 18. 17  
 iuxta LXX.



qui sciret, se illorum parentis cruciatuū causam extitisse. Ex hac humilitate provenit, ut quis lugubri se habitu tegat, externa scilicet humilitate, in vestitu & reliquo corporis habitu, tunc præcipuè, cū memoria passionis celebratur, aut ex instituto, meditationes de ea habentur. Nam qui afflictum velit visitare, non se debet induere vestibus festiuis, sed planctus, ei, qui est in tribulatione, consentaneis, sicut fecerunt amici Iob, cū *sedentem in sterquilimo & saniem testa radentem* visitarunt, ut *consolarentur: scissis enim vestibus, sparserunt etiam puluerem super caput suum, & nec verbum loquebantur ei; videntes, dolorem eius esse vehementem.* Ad ipsam humilitatem, cū est perfectissima pertinet, seipsum indignum iudicare, qui his sanctissimis mysteriis assistat, & aliquo eorum sensu tangatur, sibi persuadens, id ex singulari Dei favore ad eius amicos & dilectos pertinere. Quales fuit, tribus illis Apostolis communicasse animæ suæ tristitiam in horto, cū dixit, *e* *f* *tristis est anima mea usque ad mortem,* ac voluisse, *f* *matrem suam, sanctum Ioannem, & Sanctam Mariam Magdalenam* in monte Calvariae, cū ipse in cruce penderet, iuxta eam stare. Huiusmodi enim gratia, non nisi insigniter humilibus datur: superbi enim, ut est *g* *apud Iob, g* *timebunt, & non audebunt contem- plari omnes, qui sibi videntur esse sapientes,* hoc est, huiusmodi sapientibus non concedi, Deū contemplari secundum magnitudinem diuinitatis

d Iob. 2. 8. 12

e Mat. 26. 38

f Ioan. 19. 25

g Iob. 37. 24

S. Greg. 2<sup>o</sup>.

Moral. c. 27.



nitatis eius; nec talem eos habere spiritum, ut vel secundum eius humanitatis vilitatem, eundem contempletur.

SECUNDA virtus siue dispositio ad has meditationes, est magna fiducia de Christi Domini nostri misericordia; qui cum dignatus fuerit, tanta pro nobis pati, dignabitur etiam nobis concedere; ut ipsi ita compatiatur, ut ex meditatione dolorum & cruciatuum ipsius, eum fructum hauriamus, in quem illi dirigebantur. Quare humilitatem huic fiduciae coniungens, hanc gratiam petam, tres ad id prætextus, siue causas præcipuas adferens.

PRIMA est, ipsamet passio, quam ipse sustinet.

SECUNDA ipsiusmet compassio, qua peccatorum vicem grauissimè dolens, seque eorum faciens aduocatum, pro iisdem orauit, ut passionis suæ fructus capaces illi & participes fierent.

TERTIA est liberalitas illa, qua tunc usus est erga vnum ex magnis peccatoribus, latronem videlicet, qui humiliter & confidenter ab ipso in cruce pendente petiit, dicens, *memento mei, cum veneris in regnum tuum,* h Luc. 23. 42. *Serm. de passion.* & multò plus obtinuit, quam petebat, ut suo loco dicitur: Sed ego (ait S. Laurentius Iustinianus) postquam me peccatorem, sicut latro ille confessus fuero, loquar ad Dominum meum in cruce pendentem, ac humiliter & confidenter dicam, Domine memento mei,

II.

1.

2.

3.



i ad Ro. 8. 17  
k 2. Tim. 2.  
12.  
Serm. 32. in  
Cant.

non solum vt perueniam ad regnum tuum, sed vt doloribus compatiar tuis, tuæque communem passioni; scio enim quod *is tibi compatiar*, etiam *conglorificabor*, & *si sustinero, etiam correpnabo*. His de causis dilatanda est confidentia nostra in Christum, quæ (Sancto Bernardo teste) quò latior est, eò nos reddit capaciores diuinorum donorum, euacuato vase cordis nostri per humilitatem à seipso, quò possit illis repleri.

## III.

TERTIA dispositio est magnus feruor ac diligentia circa hoc opus orationis; esset enim magnus pudor, tepidè de iis cogitare, quæ ipse Christus tanto feruore pertulit. Feruor hic in eo apparebit, si meditatio ipsa, attenta valdè, profunda fuerit, ac deuota; excutiendo ex memoria quidem omnes diuagationes; ex intellectu autem torporem in ratiocinando, vt ad profunditatem horum mysteriorum perueniat; ex voluntate denique relaxationem, & frigiditatem in affectibus; conando vt illi sint feruentes sicut fuerunt ipsius Christi, & certo quodam ac generoso animi decreto statuendo ipsum comitari, non dormiendo, sicut tres illi Apostoli in orto, sed vigilando, sicut ipse vigilabat, & orando, illa agonia, instantia, & perseverantia, qua ipse orabat: & horas aliquot in hoc expendendo sicut ipse expendit.

## IV.

QUARTA dispositio est cordis munditia, procurando illud ab omni culpa purgare: atque ita mundum conseruare, vt mundus accedens ad orationem, magnam in ea fiduciam habeam

abique



absque remorsu conscientiae, apteque sibi dispositus, ad recipienda DEI dona, & pretiosi eius sanguinis fructus. Nemo enim prudens, pretiosum aliquem liquorem, in sordidum vas infundet. Quare (vt Sanctus Bernardus hortatur) siquidem benedictio adeo est copiosa, ut parare ad eam recipiendam vasa munda, mentes deuotas, spiritus vigilantes, affectus bene gubernatos, & puras conscientias, in quas effundantur tot gratiae, atque sunt illae, quae hic communicantur.

HAEC sunt dispositiones, quas habere oportet, haec mysteria meditaturum: sed cui tamen illae defunt, non propterea meditatione negligat; nam ipsa et accendet earum desiderium, sicut etiam alias virtutes excitat, vt mox videbimus.

os so

Serm. feria  
4. hebdom.  
pensosa.



DE VARIIS MODIS PAS-  
sionem CHRISTI me-  
ditandi. §. 3.



Tædium vitetur, quò tepidi-  
tas nostra facillè afficeretur, si v-  
no semper modo eandem rem  
meditemur, expedit scire va-  
rios modos Christi passionem  
meditandi, præter duos illos prædictos, qui-  
bus diximus posse nos eam meditari, tan-  
quam nostrum scilicet beneficium, & tan-  
quam ipsi Christo pœnalem: sunt enim alij  
duo præcipui, ad quos reliqui referuntur,  
sicut solet in conuiujs duobus modis men-  
sæ ministrari; primus est, cùm singula fer-  
cula ita seorsim apponuntur, vt postquam  
vnum fuerit expeditum, succedat alterum;  
secundus est, cùm plura simul fercula ap-  
ponuntur, vt iuxta palatum aut necessita-  
tem comedentis, ex singulis aliquid delibet;  
sic inquam in spiritali horum mysteriorum  
passionis Christi conuiuio, duo sunt modi ea-  
dem spiritaliter comedendi.

I.

PRIMVS isque ordinariè magis vsurpa-  
tus est, singula mysteria seorsim meditari,  
perpendendo, quod in eis consideratione est  
dignum, sequendo ipsius historiz ordinem,  
& præcipuè oculos coniciendo in quatuor

illa



illa, quæ indicauimus in 2. partis Introductio-  
ne, PERSONAS videlicet, quæ in vnoquo-  
que mysterio interueniunt, tam CHRISTI  
Domini, quam eius sanctissimæ matris ac di-  
scipulorum, immò etiam hostium & persecu-  
torum ipsius Christi, attendentes singularum  
qualitates & conditiones; audientes VER-  
BA earum; ac denique OPERA, quæ fiunt,  
attendentes: discentes ex his, quæ Christus  
Dominus loquitur & facit, quod nobis est vti-  
le; fugientes verò mala, quæ hostes eius di-  
cunt & faciunt; ac denique aspicientes quæ  
Christus Dominus patitur; & attendentes,  
qua ratione diuinitas se se quodammodo ab-  
sconderit, nec suos hostes dissipauerit; sed per-  
miserit, vt humanitatem sanctissimam cru-  
ciarent: ex quo intelligam, quid par sit me fa-  
cere ac pati pro eo, qui tanta pro me fecit ac  
passus est; inferens hoc nomine cum ipso Deo  
Domino nostro colloquia, ea ratione, quæ  
mox subiicietur.

ALTER modus hæc mysteria meditandi est  
cum omnibus in memoria retentis, pro argu-  
mento meditationis, dolor aliquis particu-  
laris, aut nominatim aliqua virtus Christi  
Domini accipitur, vt perpendamus, quid cir-  
ca illam in omnibus ipsius passionis partibus  
contineatur: exempli causa. si meditari velim  
de Christi Domini nostri humilitate, ratioci-  
nabor & perpendam eiusdem virtutis actus,  
quos in totius passionis decursu edidit: primò  
cum Apostolorum pedes lauit; deinde cum

*P. noffer I-  
gnatius in  
1. exercit.  
hæbdom. 3.*

II.



comprehensus, etiam pedibus tuorum hostium, ob contemptum calcabatur, sicq; pergam usq; ad eos actus, quos in cruce ipsa exercuit: & si velim eandem virtutem etiam ad ea, quæ ante passionem fecit, referre, licebit ab iis actibus humilitatis incipere, quos tempore suæ natiuitatis, infantie, & prædicationis edidit, eliciendo ex his omnibus, magna ad eam virtutem plenè exercendam incentiua: nam in singulis mysteriis resplendet aliquid speciale, qd pertinet ad eius perfectionè. Eodem verò modo licebit meditari obedientiam, aut charitatem, aut patientiam ipsius Saluatoris. Et eodè modo accipi potest pro materia meditationis peculiare aliquod genus doloris, cruciatu, aut ignominie eius, ratiocinando per eiusdè passionis mysteria; & perpendendo, quod in eis solum pertinet ad eundem dolorem aut ignominiam: exempli causa, si meditemur, quoties fuerit ignominiosè denudatus: aut quoties suum pretiosum sanguinem effuderit; ad quæ loca, tanquam ad stationes quasdam, fuerit deductus: quas ignominias, ob aliquam virtutem aut manifestatam sapientiam, pertulerit: & in horum singulis, conando compassionem eiusdem saluatoris sentire, meq; ipsum ad aliquid proipso, in eo doloris genere perferendum, excitare. Aliàs possum accipere meditationis materiam specialem dolorem, quem sensit Christus in aliquibus suis membris, siue sensibus, v.g. dolorem manuum, cum ligarentur illi, dum fuit comprehensus: deinde ad Co-

lumnam



luminam, & denique cum fuerunt cruci affixæ,  
& idem erit de similibus.

AD hos duos modos meditandi passionē ac-  
cedere potest tertius, qui fit per applicationē  
sensuum animæ interiorū ad singula mysteria  
ad eam formam, quæ secundæ part. med. 26. posu-  
imus, per modū contēplationis, & absq; multis  
ratiocinationib<sup>9</sup>. PRIMVM, oculis animæ aspi-  
ciendo externam Christi Domini figuram cōs  
ad compāssionem permouentem: & simul in-  
teriorē eius animæ figuram, ex vna parte ad eō  
pulchram, ex altera ad eō afflētā, & admira-  
bor dolens, quod qui a *splendor est gloria patris* a *Heb. 1. 3.*  
& *figura substantia eius*, sit ob mea peccata ita  
deformatus. DEINDE, audiendo internē blā-  
da illa & amore plenissima huius Domini ver-  
ba, clamores item duos ad eō, & furiosos eius  
inimicorum contra ipsum, strepitum colapho-  
rum, flagellorum ictus, & malleorum: vt sen-  
tiam in corde meo, quod Christus senserit in  
suo. TERTIO, interno odoratu precipiendo tā  
foetorem peccatorum, quæ mortem summo  
huic sacerdoti attulerunt; quā sacrificij sua-  
ritatem, quod ipse pro illis obtulit; & virtu-  
tum, quas exercuit ipse, in hac ad eō poenali sua  
passione: simulq; perpendā, qua ratione æter-  
ni Patris ira fuerit huiusmodi sacrificio pla-  
cata, qui in huius reconciliationis signum, non  
iam *arcum suum in nubibus*, sed propriū fil. ū, b *Gen. 9. 13*  
arcus instar in cruce extensum posuit pluen-  
tem sanguinē, *in signū fœderis inter se & terrā*,  
Quarto, gustādo etiā amaritudinē & vel illud



Christi Domini, & acerbitatem & incertorem  
 ex eis persentiendo, atq; si corpore illa degu-  
 starem; gustando item dulcedinem illius amo-  
 ris, quo omnia illa tolerabat, & quam Deus  
 iis confert, qui aliquid amoris ipsius intuitu  
 perpetiuntur, & vehementer admirabor, in  
 tanta amaritudine, tantam inesse amoris dul-  
 cedinem. QVINTÒ demùm, interno animæ  
 tactu contingam horrenda illa passionis Chri-  
 sti instrumenta, rigorem & asperitatem fu-  
 nium, flagellorum, spinarum, crucis & clauo-  
 rum, sentiens spiritu, quod ipse Dominus in  
 corpore sensit, & affectus eliciens, qui ex hu-  
 iusmodi sensibus solent prouenire. Praxis hu-  
 ius orandi modi ponetur in mysteriis horti;  
 praxis ve: ò aliorum duorum modorum, appa-  
 rebit in proxima meditatione, quæ præambu-  
 lum quoddam & velut fundamentum  
 est cæterarum.

